

MAXIMILIANI HELL è S. J. || 3

ASTRONOMI CÆSAREO REGII

I N

TABULAS SOLARES

P R Æ F A T I O

Quod dudum cupiëram, nunc demum opus adgredior, mutato id quidem consilio, sed necessario é rationibus officii mei, cui pro viribus facere satis, si non possum, velim certe quam maxime. Meditabar scilicet opus integrum Tabularum omnium Astronomicarum Systematis nostri Planetarii secundum hodiernam Astronomiæ notitiam exacte compositum, idque justo volumine exhibendum; At DEO. O. M. qui me votis meis, pro summa sua bonitate, & providentia haud quaquam damnandum voluit, aliter visum. Quapropter, quod uno volumine præstitum desideraveram, nunc in plures partes divisam Tabularum materiam seorsim quidem cum Ephemeridibus meis annuis, attamen, quæ in unum opus completum colligi possit, edendam statui.

De Tabularum harum præstantia nihil est quod dicam, sunt enim eæ ipsæ, quæ & à summis Astronomis recens productæ sunt, & à maximis in hac Scientia viris probatæ, atque summis laudibus celebratæ.

Tabulæ Solares, quæ primum in hac mea editione, tanquam reliquarum omnium fundamentum, locum occupant, sunt Clarissimi, celeberrimique Illustrissimæ Acad. Reg. Scientiarum Parisinæ Astronomi *D. De la Caille*, Viri, cujus summa in Astronomiam merita, grata posteritas nullis unquam laudibus satis celebrare poterit, quemque præmature anni præterlapsi fato Reipubl. litterariæ Decus summum ereptum fuisse, quotquot opera Viri hujus noverere, non sine maximo animi dolore commemorare possunt, ego cum primis, cujus suavissimo, candidissimo, atque solidissima eruditione sublimis hujus Scientiæ plenissimo commercio litterario, quinquennio duntaxat, gaudere datum est.